



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 75. Ordo S. Francisci de Paula a Pontifice confirmatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A.C. 1493.

§. LXXV.

Ordo S. Francisci de Paula a Pontifice confirmatus.

Raynald. hoc
an. n. 35.

Cum Ordo Eremitarum a S. Francisco de Paula institutus nova indies caperet incrementa, ac varia illius monasteria erigerentur, ingensque piorum virorum multitudo ad amplectendam hanc vitæ disciplinam conflueret, sanctus Ordinis Fundator religiosæ vitæ normam composuit, eamque Sedi Apostolicæ obtulit, qua ab Alexandro approbata, totius sacri instituti ratio hoc anno millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio confirmata est, voluitque Papa hos Religiosos, antea Eremitas dictos, imposte-
rum *Fratres Minimos* nuncupari. Sub idem tempus hic Ordo in Hispania florescere cæpit, sub piis auspiciis Ferdinandi, ac Isabellæ Regum, quibus S. Franciscus de Paula ex cænobio Plessiacensi quosdam Religiosos submitit, qui ibidem appellati fuere *Fratres de victoria*, ob Malacam Mauris ereptam, quam victo-
riam

ptem tantum approbasse; rem enim confundit ac perturbat teste Infissura, qui inquit, *Papa Alexander creavit 12. Cardinales, & in eorum creatione consenserunt tantum septem Cardinales, reliqui dissenserunt.*

Sæcul. XV.
A.C. 1493.

riam Ferdinandus precibus ac meritis S. Francisci pie attribuit. Nec minoris habuit Carolus VIII. Galliarum Rex hujus viri sanctitatem, in ejus cultu ipsum suum Patrem Ludovicum XI. sancta quadam æmulatione superans. Frequenter eum Plessiaci invisit, ut ab eo in negotiis animam suam concernentibus salutaria exciperet monita, quinimo in singulari suæ venerationis testimonium fieri voluit, ut ipse Franciscus Delphinum ejus filium e fonte Baptismatis suscipere, nomenque ei imponeret. Præterea Rex Monasterium extrui curavit in vivario castri Plessiaci prope Turones in loco alias *Montils* dicto, illudque dotavit pensione tam pro eo, quam sociis ejus satis congrua; dein aliud extruxit cænobium Ambasiæ eo ipso loco, quo Rex tunc adhuc Delphinus, adventantem in Gallias Franciscum olim exceperat, ejusque Religiosis ex suo ærario annuos redditus suppeditari præcepit. Nec in hisce duobus cænobiis stetit Caroli affectus erga S. Franciscum de Paula; cum enim anno millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto, ut Constantinopolitanus Imperator a Pontifice renunciaretur, Romam venisset, in monte Pincio sub invocatione SS. Trinitatis Fratibus Minimis Ecclesiam extruxit, impetravitque a summo Pontifice,

N n 2

fice,

Sæcul. XV. fice, ut nulli alii Fratres nisi natione
A C. 1493. Galli ibidem degere possent.

§. LXXVI.

*Breve absolutionis Pico Mirandulano
a Papa concessum.*

*Vid. supra
Lib. CXVI.
= 69.*

*Argentre
coll. jud. tom.
1. p. 321.*

Jam alibi recensuimus, quasdam Joannis Pici Mirandulani propositiones ex ejusdem Thesis decerptas, in judicium fuisse delatas, cum vero Mirandulanus sese Sedis Apostolicæ judicio submisisset, hoc anno summus Pontifex die decima octava Junii Breve Apostolicum edidit, quo Auctorem absolvit, ac vindicata ejusdem innocentia, suarumque opinionum integritate adversarios ejus, qui illum inique calumniabantur, confudit: Picus vero nominis sui fama adeo gloriose reparata, reliquos vitæ suæ dies, qui pauci admodum erant, sacrarum Paginarum studio, ac Judæorum necnon Mahometanorum erroribus strenue impugnandis dicabat; hunc in finem plura elucubravit opuscula, quibus etiam astrologiam judiciariam confutabat, Præterea Principatus sui Imperio sese abdicabat, omnemque substantiam suam pauperibus distribuebat, corpus vero suum jejuniis, aliisque pœnitentiæ rigoribus macerans, totum sese orationis studio impendebat.

§. LXXVII.